



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Ilvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Capvt XIII. Quibus authoritatibus probant Iudæi Christum non fore Deum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

non erit populus qui eum negaturus est. Dixerunt enim, non habemus Regem, nisi Cæsarem. Et alibi, hunc nescimus unde sit. Quod vero sequitur, & ciuitatem & sanctuarium Dei dissipabit populus, ad septuaginta hebdomades non pertinet, sed Propheta de tempore Aduentus & mortis Christi prophetauit, quid venturum erat Populo qui noluit eum recipere dicens: & dissipabit ciuitatem & sanctuarium populus Romanus cum duce suo venturo, & finis erit vastitas, & post finem belli, statuta à Deo in æternum desolatio. Ex his, manifestum est Christum iam venisse.

Quarto etiam à Iudæis, pro quo peccato in tantâ miserâ sint constituti, & in tam diuturnâ captiuitate detenti? Antiquitas enim captiuitas eorum vel per septuaginta annos, vel Paulo amplius legitur prolongata fuisse, peccatis eorum exigentibus; sed penitentiâ ducti, à captiuitate liberabantur: At, post passionem Christi, in captiuitate continuè detenti sunt, iam per mille annos & amplius; sed pro quibus peccatis tam diuturnâ captiuitate detinentur, cum non transgrediantur modò legales obseruantias, sicut olim transgrediebantur, nec leguntur vnquam melius legem obseruasse, quam modò obseruant. Restat, quod pro peccato quod commiserunt in Christum, modo puniantur.

CAPVT XIII.

Quibus auctoritatibus probans Iudæi Christum non fore Deum.

Probant etiam Iudæi, Christum non fore Deum, auctoritatibus, sic: (a) *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* In vanum nomen Dei assumit, qui homini nomen & cultum diuinitatis attribuit; nam si (b) *vanitas est omnis homo,* qui hominem Deum credit, & Deum appellat, homi-

ni nomen cultumque diuinitatis attribuit. Item, in lege scriptum est, (c) *Qui fecerit se Deum occidatur.* Nullus ergo homo est Deus. Præterea, si (d) *nulla est apud Deum transmutatio, nec vicissitudo obumbratio,* quomodo penes eum potest fieri tanta rerum alteratio, vñ Deus homo fiat, Creator creatura, & incorruptibilis credatur esse factus corruptela? Quomodo accipitur, (e) *In principio Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli; ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficiunt.* Quomodo idē Deus ipse est, si alteratus, homo potest fieri? Si Deus est immensus, quomodo parua humanorum diuisione membrorum potuit dimensus circumscribi? Si Deus est immensus, & incircumscriptus, quo argumentationis genere dicitur, quia dimensione corporeâ circumscriptus, totus sub angusto vno Matris utero potuit comprehensus teneri? Adhuc, si Deus est quo nihil maius vel sufficientius cogitari potest, quare necessitate coactus, humana calamitatis particeps, tantorum factus est confors malorum? Denique, si Deus factus homo, quomodo stabit quod ipse locutus est ad Moysen, non videbit homo & viuet? Multum repugnare videtur, vt Deus homo factus sit, & ab homine, vel ipsa matre sua videri non potuit. Absit enim vt aliquid phantasticum circa Deum fuisse credatur.

CAPVT XIV.

Solutio Christianorum:

Ad hæc dicimus, quod necessitas maxima fecit vt Deus homo fieret, & per humanitatis suæ mysterium nos redimeret: Rationabile enim fuit, vt sicut per peccatum hominis genus humanum perierat, ita per hominem reduceretur.

(a) Exodi 20. 7. (b) Psal. 38. 7. 6. (c) Deut. 13. (d) Iacobi 1. (e) Psal. 101.